

Spiritu sancto in ultimis diebus ex Virgine vere Deipara incarnatum, genitum & natum, in duobus naturis distinctis inconfusisque Divina humanaque subsistere in unica Divini aeternique Verbi persona: Eumdemque secundum Divinitatem, & secundum pariter assumptam humanitatis naturam, unicum esse DEI Patris Filium, non putativum, sed verum; non adoptivum, sed naturalem, propter Personae individua unitatem.

2. Processum deinde est ad Canones, quibus disciplinam sacram in Ecclesiis stabiliri oportebat. Horum primo, simoniaca perveritas ab Ecclesia eliminatur. Secundo Canone, vitae morumque integritas & praedicationis sinceritas Pastoribus injungitur. III. Viciis sobrietatis inducitur. IV. Feminarum cohabitatio etiam nullatenus suspectarum Clericis interdicitur, ne harum velamini, aliis quibuscumque, quae suspicionem & flagitii causam inducere queant, accessus aperiantur. V. Saecularia omnia negotia Clericis prohibentur. VI. Iisdem vetantur mundanae dignitates, fastus saeculares, lusus indecori, venationes, & alii quam Ecclesiastici canones. Deinde omnibus fidelibus clandestinae nuptiae interdicitur: accenter impuberum matrimonia. X. Adhuc sancti Doctoris Hieronymi verbis declaratur illicitum, praetextu adulterii unius conjugum, quando pars adulterii rea vivit, alterum matrimonium. XI. Providet Monialium clausura, ne quis clericus, aut etiam archimandrita praetextu visitationis, aut Divini Verbi praedicationis, nisi de licentia Episcopi, claustra earum ingrediatur: neque ulli Moniali sis sit etiam praetextu sacrorum locorum invisorum pedes extra claustra efferre.

CONCILIIUM FRANCOFORDIENSE

Anno Chr. 794.

1. **D**uae sunt in Germania hujus nominis civitates, nimirum Francofordium ad amnem Oderam, & Francofordium ad fluenta Moeni. In ista ad Moenum civitate coactum est anno Christi 794. communi Zachariae Pontificis primi, & Caroli Magni conspiratione, celeberrimum istud Concilium. Huc enim ex toto Occidente, Italia, Gallia, Hispania, Germania, & Anglia, trecenti confluerunt Episcopi: cui praesens ipse Carolus interfuit, duoque eodem Apostolice Legati Theophilactus & Stephanus, ut Ado perhibet in Chronico. Hujus convocandi causam dedit haeresis Hispanos duos Episcopos habens auctores, Elipandum Toletanum & Felicem Urgelitanum, quae tota Hispania grassabatur. Hi namque Nestorianam haeresim ab inferis reducetes, duas in Christo JESU personas asserere invicem distinctas. Divinam, secundum quam naturalis Filius Dei erat, & humanam alteram, cui dignitatem Filii Dei abrogabant, nihil aliud esse asserentes, quam Filium Dei adoptivum ac acititum. Hec eadem haeresis paulo ante fuerat in duobus Conciliis proscripta, damnataque in Foro Juliano sub Foro Julii Episcopo & Patriarcha Paulino, cui Petrus assidebat Mediolani Archiepiscopus, anno 791. Deinde anno sequenti in Ratisbonensi ad Danubium Synodo, in qua Felix ipse Urgelitanus poenitentia ductus suam damnavit haeresim, qui per Angilbertum Abbatem inde Romam deductus veniam & reconciliationem a Zacharia Pontifice recepit, & in civitatem regressus est Urgelitanam. Veruntamen iterum ab Elipando seductus, quasi sus lota se rursus volutabro immergit, & vomitam haeresim quasi canis refoebuit. Horum uterque cum sequacibus suis primo ipso Francofordiensi canone sententia damnationis fuit inustus.

2. Secundus qui circumfertur Francofordiensi canon, circa Imagines, usque adeo mendacis perplexus involutusque est, ut nullo Ariadne filo ex isto labyrintho se quisquam expedire queat. Constantinopolim, quae est in Thraciae provincia, collocat in provincia Bithynia. Synodum Constantinopoli habitam decrevisse refert, ut imaginibus Sanctorum eadem veneratio adhibeatur, quae deinceps Trinitati adhibenda est: quod est a vero alienissimum, sive intelligas de Synodo Constantinopolitana, quae ultimo fuerat habitata, quippe quae usum pium imaginum penitus interdixit: sive de Nicena, quae piis imaginibus eam voluit deseri venerationem, quae tamen laetiam utpote soli debitam Trinitati excluderet. Nemo etiam assequi valet, qui fieri potuerit, ut Francofordiensem Patrum istam adeo absurdam facti celeberrimi incitiam praesentes Apostolice Legati, circa Synodum ab eodem, a quo missi fuerant, Adriano susceperunt, & gratanter approbatam, facillima rei gestae admonitione non discussissent. Et tamen Ado

Viennensis Episcopus cujus memoria est tabulis Ecclesiasticis consecrata 16. Decembr. haec refert in suo Chronico etate 6. *Habita est Pseudosynodus* (sic enim vocat) *in Oriente, quae a Graecis vocatur Synodus septima aecumenica pro imaginum cultu, quae demum abrogata fuit in Synodo Francofordiensi sub Carolo Magno regnante.* Hincmarus praeterea Rhemensis Archiepiscopus in suo Opere ad nepotem Laudunensem Episcopum cap. 20. in hoc versatur errore, ut septimam, quae Nicena est, Synodum non modo reprobet, sed Constantinopoli, & praeter auctoritatem Apostolicae Sedis (quorum utrumque falsum est) habitam autemet his verbis: *Septima autem apud Graecos vocata universalis Pseudosynodus de imaginibus, quas quidam confringendas, quidam autem adorandas dicebant: neutra vero pars intellectu sano desiniens, sine auctoritate Apostolicae Sedis non longe ante nostra tempora Constantinopoli est a quampurimis Episcopis habitata, & Romam missa, quam etiam Papa Romanus in Franciam direxit; unde tempore Caroli Magni Imperatoris, iussione Apostolicae Sedis, generalis est Synodus in Francia convocante praefato Imperatore celebrata; & secundum Scripturarum tramitem, traditionemque Majorum, ipsa Graecorum Pseudosynodus destructa, & penitus abdicata, de cujus destructione non modicum volumen, quod in Palatio adolescentulus legi, ab eodem Imperatore Romam est per quosdam Episcopos missum: Vere dixit missum, non tamen compositum: & quidem quae hujus voluminis superstitio, ingenium auctoris producit, virulentum, prociac, temerarium, & in omnem maledicentiam effusissimum: ejus enim adversus Nicenos Patres, & qui eis consentiunt, saepius iterantur haec convicia: *Impudentissime, deliramento plena, delirare, absurdissime, magna temeritas, ingenique absurditas, dementissimum dictum, apocryphas & omni derisione dignas nentias, ridicule & perverster dictum, stultissime putant, deliramentum errore plenum, inutile & cum dementia prolatum, risu dignum, falsissimum, omni ridiculo dignum dictum, aliaque pleraque his paria.* Superest vero Caroli Magni epistola ad haresarcham Elipandum, in qua nulla vox contumeliosa legitur, sed quae mitissimam caritatem & paternae dilectionis praecordia ubique spirat. Sic autem exorditur: *Gaudet pietas Christiana, divina scilicet atque fraternae per laia terrarum spatia duplex caritatis alas extendere, ut materno foveat affectu, quos sacro genuerat baptisate: & maxima est sanctae Matris Ecclesiae exultatio suorum adunatio filiorum, ut sint consummati in unum, qui redempti sunt ab uno, dicente eodem redemptore Domino nostro JESU Christo: Pater sancte, serva eos in nomine tuo, quos dedisti mihi, ut omnes unum sint, sicut & nos unum sumus.* Quis credat sapientissimum & maximum Imperatorem, qui tanta mansuetudine scripsit ad flagitiosissimum haresarcham, tot effutivisse illiberales summae majestatis indignas contumelias in suis ad Summum Pontificem scriptis, qui cum summa devinctus erat, & necessitudine & observantia? Misit vero ad Hadrianum, ut rationes in utraque partem expenderet, ejusque iudicium de his quaestionibus, quae magna contentione ventillabantur, exploraret.*

3. Canon Francofordiensi secundus haec sciscit, juxta Sirmondi editionem: *Allata est in medium questio de nova Graecorum Synodo, quam de adorandis Imaginibus Constantinopoli fecerunt: in qua scriptum habebatur, ut qui Imaginibus Sanctorum ita ut Desicce Trinitati servitium, aut adorationem non impenderent, anathema judicarentur. Qui supra sanctissimi Patres nostri omnimodis adorationem & servitium venientes contempserunt, atque consentientes condemnaverunt.*

Liquido constat ex adductis paulo ante vicinorum illorum temporum relationibus ex Adone Viennensi, qui publicis Ecclesiae tabulis in Sanctorum relatus est numerum, & Hincmaro Rhemensis, praeterea ex testimonio Anastasi Bibliothecarii, qui in sua ad Concilium septimum a se Latine translatus praefatione, Gallos ait alieno animo fuisse ab hac Graecorum Synodo, & sacrarum Imaginum veneratione: quos tamen proprio ipsorum telo configit; cum enim Crucis Imagines veneranter adorarent, metallo, aut ligno, aut lapide expressas, nefas tamen dicebant ipsius Christi effigiem adorare, aut potius Christum ipsum ad ejus Imaginis praesentiam colere. Ex his, inquam, competunt fit, illorum temporum Gallos non quidem approbasse Iconoclastarum haeresim, illas omni ex loco eliminantium & destruentium: illarum quippe usum in Ecclesiis ad piam memoriam & rudium instructionem approbant; sed tamen averso profus animo fuisse ab illarum etiam relativo cultu. Utrumque enim argumentum iidem fuerant temporibus non tantum adversus Graecos Iconoclastas, sed etiam contra Claudium Hispanum Taurinensem Episcopum

Concilium Francofordiense, ann. 794.

scopum profus Iconoclastam, tribus editis libris pertractavit Jonas Aurelianensis Episcopus, qui sub Ludovico Pio & Carolo Calvo floruit. Iisdem quoque Imperantibus, suum de picturis & Imaginibus non adorandis, librum publicavit Agobardus Episcopus Lugdunensis. Hunc eundem sensum tenet Valafridus Strabo, ut liber ejus de rebus Ecclesiasticis c. 8. fidem facit. Eandem quoque sententiam magna pertinacia propagavit Synodus seu Conventus Parisiensis sub Ludovico Pio Caroli Magni filio, eo usque ut cum Graecis Iconoclastis juncta societate, Legatos Gallicos pro hac injusta causa tuenda Romam miserit; facile itaque crediderim, prudentissimo consilio Hadrianum Pontificem, ejusque Legatos consentisse, ut Franci in sua ignorantia & aliquid bona fide permanere sine-rentur, hoc prudenti circumspectione praevidentes fore, ut si urgeretur Synodi septimae auctoritas in re fidei, ejusque ab Hadriano Pontifice confirmatio, fore ut ex Francorum universae Christianitatis dominantium pertinacia, Christi Ecclesia foedissima & immedicabili confusione laceraretur. Mirum profecto est, Francos ea fuisse opinione imbutos de VII. Synodo, ut parem sanctissimae Trinitati defendendam esse Imaginibus adoratio-nem sanciverit, cum tamen eadem ipsa Nicena Synodus definit in oppositum, sacram illam & religiosam *imaginationem*, ac venerationem, quae sacris debetur Imaginibus, nullatenus esse Latriam cultum, soli DEO debitam. Quo eodem sensu Sanctus Papa Gregorius lib. 9. ep. 9. ad Serenum Massiliensem Episcopum consentit, non esse adorandas Imagines eodem scilicet, qui Deo debentur, cultu: idem tamen lib. 7. epist. 2. & 5. ad Januarius, & ad Secundinum debitam Imaginibus venerationem & honorem perspicue confirmat.

4. Can. III. *His peractis, de Tassilone definitum est Capitulum, qui dum Bajoaria Dux esset, fuerat sobrinus videlicet Domini Caroli Regis. In medio sanctissimi adfuit Concilii veniens rogans pro commissis culpis, tam quas tempore Domini Pipini Regis adversus eum & regnum Francorum commiserat, quam & quas postea sub tempore Domini nostri piissimi Caroli Regis, in quibus fraudator fidei suae extiterat, indulgentiam ut ab eo mereretur accipere, humiliter petitione visus est postulasse, dimittens videlicet puro animo iram atque omne scandalum de parte sua, quaeque in eo perpetrata fuissent, & sciebat: nec non omnem justitiam, & res proprietatis, quantum illi aut filii vel filiiabus suis in Ducatu Bajoariorum legitime pertinere debebant, surripuit atque projecit, & in postmodum omni lite calcanda sine ulla repetitione indulgit: & filios ac filias suas in illius misericordia commendavit. Et idcirco Dominus noster misericordiam motus, praefato Tassiloni gratuito animo & culpa perpetratam indulgit, & gratiam suam pleniter concessit, & in sua elemosyna eum in amore dilectionis visus est suscepisse, ut securus de Dei misericordia existeret inantea. Unde tres Breves ex hoc capitulo uno tenore conscriptos fieri praecepit. Unum in Palatio retinendum, alterum praefato Tassiloni, ut secum haberet in Monasterio, dandum, tertium vero in Sacri Palatii capella retinendum fieri iussit.*

Tassilo ab ipso Bajoariis accusatus apud Carolum Magnum, quod idem cum Carolo Magno foedus violasset, atque in ipsum populos ad rebellionem sollicitasset, Avaros quoque adversus eundem concitasset, vadium obire ad Conventum seu Synodum in villa Ingilnheim compulsus est: ibique convictus tandem & confessus iudicio condemnationis fucubuit. Cumque capitalem in eum sententiam omnes acclamarent, Carolus miseratione consanguinei sui Tassilonis ductus, obtinuit, ne moreretur: sed ut reliquam vitam Monasterio inclusus transigeret. Idque peractum est sexennio ante Francofordiense Concilium.

5. Can. VII. *Definitum est a domno Rege & sancta Synodo, ut Episcopus non migret de civitate in civitatem, sed curam habeat Ecclesiae suae. Similiter Presbyter & Diaconus maneat in Ecclesia sua canonice.*

Translationes in aliam Ecclesiam jam pridem repro-baverunt Concilii Niceni can. 15. & Sardicenis can. 1. & primi Arelatenfis can. 21. & Apostolorum can. 16. & 17. & Antiochenus can. 3. & 21. Ea de re plures con-grentur in Decreto canones, 7. q. 1. his adde Chal-cedonenses canones 5. & 10.

6. Can. VIII. *De altercatione Ursionis Viennensis Episcopi, & Elifanti Arelatenfis Episcopi lecta sunt Epistole Sancti Gregorii, Zosimi, Leonis, & Symmachi, quae deservierunt, eo quod Viennensis Ecclesia quatuor suffraganeas habere sedes deberet, quibus illa quinta praemine-Cabalutii, Notitia Ecclesiastica.*

rer: & Arelatenfis Ecclesia novem Suffraganeas habere deberet, quibus ipsa praemineret. De Tarentasia vero & Ebroduno sive Aquis Legatio facta est ad Sedem Apostolicam, & quicquid per Pontificem Roma Ecclesiae deservit fuerit, hoc teneatur.

Quatuor Ecclesiae Viennensi subditas ac suffraganeas sedes designat S. Leo Papa I. epist. 50. alias 109. *Vicinis* (inquit) *sibi quatuor oppidis praesidebit, id est Valentia, & Tarentasia, & Geneva, & Gratianopoli, ut cum eis ipsa Vienna sit quinta, ad cujus Episcopum omnium praedictarum Ecclesiarum sollicitudo pertineat. Reliquae vero civitates ejusdem Provinciae sub Arelatenfis Antistitis auctoritate & ordinatione consistant.* Novem porro Cathedrales Ecclesiae Arelatenfi concessas ex veteri codice Lugdunensi Simondus istas enumerat, Massiliensem, Albensium, Deensium, (sed haec nunc temporis Viennensi Metropolitae subest) Tricastinorum, Vafensium, Arafiscorum, Cavelliorum, Avennicorum, & Carpentoracensium; sed Avenione postmodum in Metropolim ab Joanne Papa XXII. erecta, Vafenses, Cavellici & Carpentoracenses in hanc ultimam Metropolim accesserunt. Sedes porro Tarentasiensis & Aquisensis quamvis intra Metropoles civiles censerentur, Tarentasiensem tamen Vienna Allobrogum, Ebrodunensem autem & Aquisensem invitas (quippe quae aliarum Provinciarum capita erant) Arelatenfis Ecclesia sibi vindicabat. Mirum est, civitatum quarundam, quae antea Metropolim dignitate decorabantur, mentionem inter id generis civitates vel nullam fieri octavo isto saeculo, aut quasi ambigui juris recentiori. Eiusmodi sunt Aquasextia, Narbo, Ebrodunum, Tarentasia. Doctissimus Ludovicus Tomassinus Oratorii Gallicani Presbyter subodoratus est causam disciplinae suae Ecclesiasticae 3. part. lib. 1. cap. 7. num. 1. 2. & 3. quia scilicet erumpentes ex vicina Hispania Saraceni annis 738. & 739. effusi in Provincias, quae citra & trans Rhodanum sunt, eas immaniter vastaverunt, Narbonam & Aquasextiam; multaque circumjacentia oppida funditus everterant, quibus diritis, Provinciae Ecclesiasticae, quae fuerant, deletae sunt. Nec nisi post diuturnam vastitatem in integrum restitui potuerit. Ipse Carolus Magnus in charta distributionis thesaurorum suorum, quae solet anno acribi 811. nullatenus meminisse Narbonensis Ecclesiae, nec Aquisensis, ibi tamen Metropolibus Tarentasiam & Ebrodunum accenset, quamvis Concilium istud Francofordiense, anni 794. de tribus his Tarentasia, Ebrodano, & Aquisextiis suum suspendat iudicium, responsum expectans Romani Pontificis, quae nullibi visitur. Charta vero illa thesaurorum Metropolitibus distribuendorum conjecturam facit, rescripto Pontificio fuisse jus Metropoleon Ebroduno, & Tarentasiae concessum, sed nondum Aquisextiis, quia forte neque urbs illa, neque ille, quae fuerant ei suffraganeae, ex Saracenis ruinis emerferant. De Narbona quidem omnis remoretur ambiguitas, etiamsi charta illa, quam diximus, non exprimitur, quatenus Concilium Arelatense sub eodem Carolo Magno habitum ann. Chr. 813. Nibridium dicit Narbonensem Archiepiscopum.

7. Anno deinde 829. Ludovicus Pius indicens quatuor Galliarum locis in eunda Concilia, in unum horum scilicet Lugdunense convenire jubet quatuor Metropolitanos una cum subiectis sibi Suffraganeis, Agobardum scilicet Lugdunensem, Bernardum, Andream & Agericum, quem Stephanus Balufius in notis ad Capitularia fuisse scribit Aquisextiensem Archiepiscopum. Deinde Joannes Papa VIII. epist. 98. scribit Oteranno Archiepiscopo Viennensi, Aureliano Archiepiscopo Lugdunensi, Roberto Archiepiscopo Aquisensi, Teutranno Archiepiscopo Tarentasiensi, Sigibodo Archiepiscopo Narbonensi, & Ariberto Archiepiscopo Ebrodunensi, ut una cum suis Suffraganeis ad Tricastinum secundum Concilium conveniant, quod postmodum anno Christi 878. celebratum fuit. Idemque Joannes epist. 191. scribit ad tres Archiepiscopos simul Rostagnum Arelatensem, Sigibodum Narbonensem, & Robertum Aquisensem. Qui idem legitur subscriptus Concilio Mantalensis, in quo Bosoni nomen & insignia regni Arelatenfis delata fuere anno 879. Aquisensem porro Antistitem fuisse ab initio, longaque ante haec tempora Metropolitanum, inde vincitur, quod in controversia, quae inter Viennensem & Arelatensem Metropoles disceptabatur, Leo Papa I. ut diximus epist. 50. alias 109. quatuor assignet Viennensi Praefuli suffraganeas Ecclesias, inter quas Tarentasia nominatur: Arelatenfi autem novem: sed nulla inter novem istas recentior, quae Narbonensem secundam Provinciam sub Aquisensi Metropoli constituat. Sirmondus vero novem illas recentet ad fidem antiquissimi manuscriptorum Lugdunensis, ex quibus ad constituendam postea Avenionensem Provinciam